



# ATTI DEL CAPITOLO SUPERIORE DELLA SOCIETÀ SALESIANA

DIE 26 APRILIS

IN FESTO

BEATI IOANNIS BOSCO CONF.

---

**DIE 26 APRILIS**

**IN FESTO  
BEATI IOANNIS BOSCO CONF.**

**IN II NOCTURNO.**

**LECTIO IV.**

Ioánnes Bosco, húmili loco natus apud Castrum Novum in Asténsibus atque sanctissime, patre amísso, disciplína matérna institútus, mira de se vel a prima aetáte porténdit. Ingénio enim mitis atque ad pietátem pronus, singulári se gerébat auctoritaté inter aequáles, quorum lites dirímere, fáciles rixas compónere, túrpia verba iocósque lascívos compéscre, mattre coepit. Tum verbis eos iucúndis ad se advocáre, ludis preces insérere, quae in templo arripiússet mirábili sermonis copia ac dulcédine reférre, ad Poenitentiae et Eucharístiae sacraménta rite suscipiénda puérulos quam primum quamque creberrime indúcere satégit. Oris quoque decor verecündus, morum elegántia, rerum verborúmque memória plane singuláris permágnam ómnibus de eo expectatióne movébant. Licet vero, familiáris rei angústia pressus, labórum aerumnarúmque plenam adolescéntiam egísset, id tamen unum hílaris ac Deo fidens conténdit, ut sacerdótio augerétur.

**LECTIO V.**

Voti tandem compos efféctus, Augústam Taurinórum pétiti, quo aerius, Beáto Iosépho Cafássso magístro, et in sciéntia sanctórum proficeret et ad sacram morum doctrínam addiscéndam ánimum

adiúngeret. Ibi autem, cum voluntatis inclinatiōne tum supērno instīctu incitatus, in adolescētulos suum ánimū convértit, ut prima iis christiānae sapiētiae tráderet rudimēta. Quorum cum fíeret in dies maior númerus, sedem ad eos coadunāndos stābilem ac firmam, haud sine caelēsti afflātu, áspēris et diutírnis difficultatibus superatīs, in illa urbī parte collocāvit, quae vulgo Valdóceo appellātur, in eámque rem totus incubuit. Paulo vero post, Vírgine Deípara auxiliante, quae ei puérulo per visum in somniis futura ómnia aperuerat, Ioánnes Salesianórum Socīetatē institūere de-crevit, cuius esset praesertim iuveniles ánimās Christo lucrifacere: item novam familiām suscépit constituéndam Sacrārum Vírginū, quae, ab Auxiliatrīce Dei Matre nuncupātae, adolescētulas dirige-rent in vias Dómini; quibus demum pium Cooperatōrum coetum adiécit ad Salesianórum ópera stúdio ac pietate fovēnda. Itaque brevi factum est, ut haud mediocrem civili et christiānae societati utilitatē afférret.

#### LECTIO VI.

Animarū enim stúdio flagrans, nulli pepéreit labōri nullique impēnsae, ut festōrum ascetēria diérum pro adolescētulis, pupillōrum hospítia, pusiōnum operariōrum scholas, aedes pueris aléndis instituēndis, templa Deo longe latēque per orbem excitāret. Simul Christi fidem in Subalpīnis verbo et exēmplo fovēre, tota Itália óptimos libros conficiēdo edēndo divulgāndo tutāri, Evangēlii praecōnes ad gentes infidēles saepe mittēndo propagāre non dēsit. Simplex ac rectus homo Dei, ad omne bonum opus instrūctus, difficile dictu est, quānam potissimum virtute praeſtiterit; nam a téneris annis ad ultimam usque senectūtem admirabili morum sanctitatē, omnimoda caritatē, religiōne pientissima exeelluit. Tria autem pietatis officia suis máxime commendāvit: ut quam saepissime ad sacram exhomologésim sacrāmque synaxim accéderent, ut Maríam Auxiliatricem peramánter cōlerent, ut Pontificem Máximum filiali obséquio prosequerēntur. Nec silēntio praetereūndum est, eum, in difficillimis rerum adiūnetis, praeesto non semel Románo Pontífici adfuisse, ut mala ex légib⁹ contra Ecclesiā eo tēpore latis derivāta tempe-rāret. Vitae cursum, tot tantisque opēribus ac labōribus refertum, confécit pridie kalendas februārias anno salutiferae redemptiōnis millésimo octingentésimo octogésimo octávo, aetatis suaē septua-gésimo tertio. Quem multis ante et post óbitum miraculis clarum Pius undécimus, Póntifex Máximus, magna ánnī sui laetitia in Beatōrum númerum rétulit.

## IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaéum.

*Cap. XVIII, 1-11.*

### LECTIO VII.

In illo tempore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno caelórum? Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

(In Cap. 18 MATTH., *Hom. 60*).

Viden quot modis nos indúcat Dóminus ad curam vel minórum fratrū? Ne ítaque díxeris: Aerárius est ille, aut calceórum sutor, agrícola, insípiens, ut ideo despícias illum. Ne enim in illud mali incidas, perpénde quot modis te indúcat, ut modéste agas et eórum curam geras. Puerum in medio státuit et ait: Efficiámini ut párvuli: et: Quicúmque suscéperit párvulum talem, me súscipit: et: Qui scandalizáverit, extréma patiétur. Si ergo Deus ita gráudet de párvulo qui repértus est, cur tu despícias eos quos Deus tam sollícite curat, cum oportéret ániam ipsam trádere pro uno ex párvulis istis? Tanta quippe est Deo cura de ánima, ut ne Fílio quidem suo pepérerit. Quare, óbsecro, primo dilícito, cum a domo exiérimus, hunc unum scopum habeámus et hanc praecípue sollicitúdinem, ut perclítántem eripiámus. Non loquor hic de sensíbili perículo; hoc enim ne perículum quidem est: sed de perículo ánimae, quod homínibus parat diábolum.

### LECTIO VIII.

Improbis, inquis, difficile tolerátur. Atque ideo debes illi amóre iungi, ut eum a vício remóveas, ut convértas et ad virtútem redúcás. At non obtémperat, inquis, neque consílium admíttit. Unde hoc nosti? An exhortátus es et emendáre studuísti? Hortátus saepe sum, inquies. Quóties? Saepius: semel et íterum. Idne saepius vocas? Etiámsi per totam vitam id fecísses, nec defícere, nec desperáre oportébat. Non vides quómodo nos Deus semper hortátur per Prophétas, per Apóstolos, per Evangelistas? Quid ígitur? Num recte operámur? Num in ómnibus obtemperámus? Mínime. Num ideo finem fecit admonéndi?

LECTIO IX.

Nihil quippe tam pretiósū est quam áнима: quid enim prodest hoīmini, si mundum univérsū lucerétur, ánimae vero suaē detriémentum patiátur? Verum ómnia pervértil et deiécit pecuniárum amor. Deíque timórem decússit, sicut tyránnus arcem sic áimas occupans. Idcírco et filiórū et nostram negligimus salútem. Hinc magna insipiéntia: Hinc líberi servis vilióres fiunt. Ecquid de servis loquor? Mulum si quis habeat multum curat ut agásonem illi óptimum provídeat, non ímprobum, non furácem, non temuléntum, non artis suaē imperítum: si autem fílio paedagógum dare opus sit, casu et sine deléctu óbvium quemque excípimus: etsi hac arte nulla sit maior. Quid par illi arti, quae dirigéndae ánimae et efformándae iúvenis menti et índoli incúmbit? Qui tali instrúctus est facultáte, plus diligéntiae exhibeat opórtet, quam quivis pictor aut statuárius.

ANTIPHONAE.

*In utrísque Vesp. Ant.* Qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit. Allelúa.

*Ad Bened. Ant.* Beáti mites, quóniam possidébunt terram: beáti misericórdes, quóniam misericórdiam consequéntur: beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt. Allelúa.

DIE 26 APRILIS

IN FESTO

BEATI IOANNIS BOSCO CONFESSORIS

MISSA.

INTROITUS. III, *Reg.* 4, 29. Dedit illi Deus sapiéntiam et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis quasi arénam, quae est in líttore maris. Allelúa, Allelúa.

*Ps. CXII.* 1. Laudáte púeri, Dóminum, laudáte nomen Dómini. Glória Patri.

### ORATIO.

Deus qui Beátum Ioánnem Confessórem tuum adolescéntium Patrem et Magístrum excitásti, ac per eum, auxiliatricé Virgine María, novas in Ecclésia tua famílias floréscere voluísti; concéde, quaésumus, ut eodem caritatis igne succénsi, áimas quaérere, tibique soli servíre valeámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolae B. Páuli Apóstoli ad Philippenses.

(*Philipp.* IV, 4-7).

Fratres, Gaudéte in Dómino semper: íterum dico, gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus: Dóminus prope est. Nihil sollíciti sitis; sed in omni oratióne et obsecratióne, cum gratiárum actiúne, petitiónes vestrae innotéscant apud Deum. Et pax Dei quae exúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intelligéntias vestras in Christo Jesu. De cétero, fratres, quaecúmque sunt vera, quaecúmque pudica: quaecúmque iusta, quaecúmque sancta, quaecúmque amabilia; quaecúmque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplínae, haec cogitáte. Quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, haec agite: et Deus pacis erit vobíscum.

Alleluia, Alleluia. *ŷ) Ps. LXVII*, 8-9. Filii, qui nascéntur et exúrgent, et narrábunt filiis suis ut ponant in Deo spem suam et non obliscántur óperum Dei et mandáta eius exquirant. Alleluia. *ŷ) Ps. XXXV*, 9. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuae: et torrénte voluptatis tuae potábis eos. Alleluia.

*In Missis votivis extra Tempus Paschale dicitur:*

GRADUALE. *Ps. XXXI*, 8. Intelléctum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradiéris, firmábo super te óculos meos. *ŷ) Laetámini in Dómino et exultáte iusti, et gloriámini omnes recti corde.*

Alleluia, Alleluia. *Ps. LI*. Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei, sperávi in misericórdia Dei in aetérnum. Alleluia.

*Post Septuagesimam omissis Alleluia et Versu sequenti, dicitur:*

*Ps. I*, 2-3-5. In lege Dómini fuit volúntas eius, et in lege eius meditábitur die ac nocte.

*ŷ) Tamquam lignum quod plantátum est secus decúrsus aquárum: quod fructum suum dabit in témpore suo.*

*ŷ) Et fólium eius non défluet: et ómnia quaecúmque fáciet semper prosperabúntur.*

Sequéntia Sancti Evangélii secúndum Matthaéum.

MATTH., XVIII. 1. 5.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas maior est in regno celorum? Et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi conveneritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum celorum. Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno celorum. Et qui suscepit unum parvulum talem in nomine meo me suscipiat.

OFFERTORIUM. *Ps. XXXIII*, 12. Venite, filii, audite me: timorem Domini docabo vos. Alleluia.

#### SECRETA.

Suscipe, Domine, oblationem mundam salutaris Hostiae et praesta, ut te in omnibus et super omnia diligentes, in gloriae tuae laudem vivere mereamur. Per Dominum.

#### COMMUNIO.

*Rom.*, IV, 18. Contra spem in spem ereditatem, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei. Alleluia.

#### POSTCOMMUNIO.

Corporis et Sanguinis tui, Domine, mysterio satiatis, concede, quaesumus; ut intercedente Beato Ioanne Confessore tuo, in gratiarum semper actione maneamus. Qui vivis.

#### ELOGIUM IN MARTYROLOGIO.

Augustae Taurinorum, natalis Beati Ioannis Bosco, Confessoris, Societatis Salesianae ac Instituti Filiarum Mariae Virginis Auxiliatrixis Fundatoris, animarum zelo, et Fidei propagandae conspicui, quem Pius XI anno milllesimo nongentesimo vigesimo nono Beatorum fastis adseripsit.

#### TAURINEN.

Beatorum Albo nuper adscripto Ioanne Bosco Piae Societatis Salesianae et Instituti Filiarum Mariae Auxiliatrixis Fundatore, in votis erat Rectoris Majoris eiusdem Societatis ut Festum supradicti Beati Kalendario et Proprio Instituti diei 26 mensis Aprilis inseretur sub rito duplici II classis cum Officio et Missa propriis, quorum schema S. Rituum Congregationis revisioni humiliter subiectum est.

Cum igitur ad iuris tramitem E.mus et Rev.mus D.nus Alexander Card. Verde, Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, praedictum Officium cum Missa et Ellogio in Martyrologio in honorem Beati Ioannis Bosco, Confessoris, proposuerit, E.mi et R.mi Patres, sacris tuendis Ritibus praepositi, auditio R. P. D. Carolo Salotti Sanctae Fidei Promotore Generali, reque mature perpensa rescribendum censuerunt: pro gratia et ad E.mum Ponentem cum Promotore Generali Fidei. Die 7 Januarii 1930.

Eiusmodi Officii et Missae neenon Ellogii supradicti revisione peracta, hisque omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per eiusmodi Fidei Promotorem Generalem relatis, Sanctitas Sua sententiam sacri ipsius Consilii ratam habens, suprascriptum Officium Proprium cum Missa et elogium in Martyrologio adprobavit, atque in Festo Beati Ioannis Bosco die 26 Aprilis sub ritu duplici II classis ab universo Clero Piae Societatis Salesianae et ab Instituto Filiarum Mariae Auxiliatricis quotannis adhibendum benigne concessit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 Januarii 1930.

C. Card. LAURENTI

S. R. C. Praefectus.

(L. ♫ S.)

PHILIPUS DI FAVA, *Substitutus.*